

formalem rationem, qua Deus nos amans amore illo perfecto realiter jungatur animæ amanti in ratione cogniti, et amati : ut etiam notavimus citata disputatione VIII, art. VI, in tomo præcedenti.

IX. Quare D. Thomas qui præter illum communem modum existendi per immensitatem in rebus, quem in præsentia quæstione, articulo tertio dicit esse sicut existentiam causæ in effectibus participantibus bonitatem ipsius, posuit specialem modum existendi per gratiam, quod sit tamquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, addit, quod : « Debet Deus existere in anima tamquam habitus, et possessus ab ipsa, et tunc aliquid dicimur habere, quando potestatem habemus eo libere utendi, vel fruendi, » nec possumus libere frui eo quod in nobis non est. Hoc quomodo inferat præsentiam realem Dei secundum substantiam ex vi hujus, etiam si alias immensus non consideratur, præsertim cum in rebus spiritualibus, tentio ista, et possessio non videatur dependens a præsentia intima secundum substantiam, operosius inquirendum est.

X. Dico ergo, quod iste modus existendi licet sit distinctus a modo existendi per immensitatem, et superaddat ad illum, tamen necessario præsupponit illum, et supposito contactu, et existentia Dei intima intra animam, novo modo efficitur Deus præsens mediante gratia ut objectum experimentaliter cognoscibile, et fruibile intra animam, sicut si anima nostra quam intime nobis præsentem habemus, ut radicem, et principium omnium operationum, reddatur etiam nobis præsens, et manifestata ut objectum, non quomodocumque cognitum, et objective attactum, sed ut objectum nobis intimum, et quod est radix nostri esse, nostræque

operationis ; et sic cognoscitur quodam experimentaliter tactu, et cognitione : sicut etiam substantia Angeli dupliciter unitur suo intellectui, et ut subjectum, seu radix illius cui intellectus inhæret, sicut omnia accidentia et proprietates quæ uniuntur substantiæ, et ab ea dimanant, et ut objectum quatenus informat intellectum vice speciei ; et sic est in intellectu ut objectum cognitum, et amatum, non quomodocumque, sed ut cognitum, et amatum intra, et per quamdam intimam experientiam sui, sicut id quod est radix, et principium sui intrinsicum. Sed hæc experimentalis cognitio suæ substantiæ in Angelo est semper manifesta, et intuitiva, quia caret corpore, a cujus conversione dependeat in cognoscendo ; in nostra autem anima potest esse experimentalis cognitio, sed obscura quantum ad quidditatem quamdiu sumus dependentes a corpore in cognoscendo. Talis ergo modus experimentalis cognitionis, et amoris respectu aliquis objecti cogniti, et amati, ut radicis, et principii intimi sui proprii esse, necessario exigit realem, et substantialem præsentiam in esse objecti, quia aliter non potest esse cognitum experimentaliter, et intime, sive hac experimentalis cognitio sit adhuc inevidens, et latens, sive sit intuitiva, et clara, quia est cognitio experimentalis rei sibi omnino intimæ, et quæ est radix sui esse ; sed non exercet præscientiam solum influendo, et agendo, sed influentiam, et præsentiam hanc manifestando, et ostendendo, et in ratione objecti intimi, et præsentis se fruendo.

XI. Applicando ergo istam doctrinam præsentiam divinæ, considerandum est, quod Deus ratione suæ immensitatis, et contactus, quo intime tangit omnes effectus, et dat

illis esse, habet se ut radix omnis creaturæ, et ut vitis influens in palmites, non per modum formæ informantis, sicut anima nostra adest nobis, sed sicut agens a quo datur, et influit totum esse in creaturas, ut ab universali principio, et radice omnium : sic enim appellatur in Scriptura, ut cum dicitur ad Hebr. I : *Portans omnia verbo virtutis suæ* : et ad Roman. XI : *Non tu radicem portas, sed radix te* : ad Colossens. I : *Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* : Actorum XVII : *Non longe est ab unoquoque nostrum : in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*. Hoc ergo modo existit Deus in omnibus quasi radix occulta, et principium omnibus dans esse magis intimum, quam forma quælibet sua materiæ, et substantia accidenti, quia omnia intime replet, et penetrat dando esse ; nec se habet secundum hanc considerationem, ut amicus conveniens aut particulariter se communicans, sed ut principium universale omnium creaturarum in esse ; et sic omnibus præsens, et conjunctus intime est. Cum ergo mediante gratia se manifestat, incipit id quod est radix, et principium comparari ut objectum se manifestans ipsimet intellectui creato, qui adest ut radix, et principium influens esse, et sic manifestat seipsum ut objectum, non quomodocumque, sed omnino intimum, ut pote radix totius illius esse. Unde talis manifestatio, et familiaritas, et convictus necessario importat novum modum præsentiam, nempe non solum per modum radicis, et principii inflentis esse, sed per modum Personæ conviventis, et seipsum manifestantis in ratione objecti ; sed talis præsentia realis, et intima esse debet, quia est manifestatio, non cujuscumque objecti, sed objecti nobis maxime intimi, et qui cognoscitur ut radix, et princi-

pium totius nostri esse, et per experientiam, et familiaritatem sui cognosci, et amari se faciens ; sicut substantia Angeli seipsam manifestat, et unit intellectui, ut objectum, non qualecumque, sed ipsi intellectui intimum, et tale objectum sic cognitum, et amatum ut intimum, et ut principium sui intellectus etiam in quantum objectum realiter, et non solum intentionaliter præsens est, quia seipso, et sua realitate reddit se manifestatum, et cognitum, et experimentaliter sui cognitione attactum.

XII. Quod vero istum contactum objectivum realem, et intimum habeat Deus, non solum quando intuitive, et clare videtur, et per modum speciei unitur, sicut cum substantia Angeli suo intellectui unitur ut objectum, sed etiam cum fide obscura cognoscitur, et experimentaliter quadam cognitione occulta attingitur, sicut cum anima nostra nobis in hac vita manifestatur, constat quia Deus non solum cognoscitur per fidem, sicut communiter contingit in peccatoribus, et justis, sed etiam per donum sapientiæ, quasi per gustum, et experientiam quamdam internam, sicut ab omnibus existentibus in gratia, ut docet S. Thomas 2-2, qu. XLV, art. IV et V, et hæc sapientia habetur ex quadam unione, et connaturalitate ad divinam, id est, ex quadam intima experientia divinorum, sicut de Ierotheo dicit D. Dionysius c. II de divinis nominibus, quod : « Erat perfectus in divinis, non tantum dicens, sed et patiens divina, » ut ibi affert sanctus doctor articulo secundo. Pati autem divina, et experimentalem cognitionem de Deo habere, non solum pertinet ad statum gloriæ, ubi intuitive Deus videtur, sed etiam ad statum viæ, ubi adhuc Ierotheus erat, et ubi Deus, etsi obscure, et per fidem cognitus, tamen quasi

experimentaliter quodam tactu cognoscitur, etsi non visu, sicut animam nostram non videmus, et tamen experientia animationis sentimus quasi objectum præsens, quia et informat nos realiter, et informationis indicia nobis præsentat, sic Deus suæ intimæ præsentiae quam habet ut agens, et principium totius esse per immensitatem, nobis specialiter per gratiam demonstrat tamquam objectum intime, et experimentaliter cognoscibile, hic occulte, et per indicia, in patria per visionem, sed tamen jam nobis specialiter, et realiter præsens, et quasi stans post parietem.

Unde D. Thomas qui hunc specialem modum existendi Deum in nobis, per gratiam dixit esse in quantum est objectum cognitum, et amatum, tandem id reduxit ad cognitionem, non qualemcumque, sed experimentalem ipsius Dei, quæ solum habetur per gratiam, et per donum sapientiae, quo cognoscimus de Deo per quamdam connaturalitatem, et conjunctionem cum eo, tamquam vivificante nos, sicut si esset vita vitæ nostræ, et anima animæ nostræ per intimam præsentiam sui qua influit nobis non solum esse naturale, sed etiam esse gratiæ, quo ipsas Personas in nobis tamquam præsentem agnoscimus, etiamsi nondum videamus. Dicit enim sic in I, dist. XIV, qu. II, art. II ad III, quod: « Non qualiscumque cognitio sufficit ad rationem missionis, sed solum illa quæ accipitur ex aliquo dono appropriato Personæ, per quod efficitur nobis conjunctio ad Deum secundum modum proprium illius Personæ, scilicet per amorem, quando Spiritus sanctus datur; unde cognitio ista est quasi experimentalis. » Non ergo quolibet modo esse objectum cognitum, et amatum, sed esse cognitum experimentaliter, et per ipsius præsentiae tactum perti-

net ad hunc specialem modum, quo Persona dicitur missa. Non potest autem cognosci experimentaliter nisi ut habitus, et possessus, et conjunctus intime, nec conjunctus esse intime, nisi supponendo contactum immensitatis, quo influit esse in animam, non solum esse naturale, quod est commune omnibus, sed etiam esse gratiæ supernaturale, quo ita dat esse supernaturale, quod se manifestat ut objectum ipsi præsens; atque adeo speciali modo dicitur ibi esse tamquam non solum vivificans influendo, et agendo, sed etiam vivificationem ipsam præsentem prodens, et manifestans, nunc per indicia, et experimentalem conjunctionem ad animam, licet obscuram, in patria per intuitionem.

XIII. Unde probatur etiam secunda pars conclusionis supra positæ, quod videlicet iste specialis modus existendi per gratiam in nobis præsupponat, et requirat necessariam præsentiam realem Dei per immensitatem, et sine ipsa salvari non posse, licet sit distincta ab ipsa. Nam in primis hæc specialis præsentia supponit ipsam creaturam habere in se esse productum a Deo, tum naturale quoad suam naturam, tum supernaturale quoad gratiam: omnis autem productio Dei, et influxus quoad esse fit per contactum operationis, qui pertinet ad immensitatem, ita quod etiam ipsa productio gratiæ in anima, quatenus fit per operationem Dei, contactum immensitatis ejus requirit, per quem Deus est intime in ipsa gratia, et in anima, ubi illa producit tamquam in effectu suo, et conservatur in esse: sine quo nulla specialis præsentia dabitur in creaturis. Unde si per impossibile consideretur Deus sine immensitate, considerabitur ut non producens in esse naturam, et gratiam, et consequenter ut non fundans aliam præsentiam supper-

additam isti esse, et mediante gratia ortam in creatura ex nova habitudine ad Deum. Deinde, præsupponitur iste contactus operativus Dei, seu contactus immensitatis, tam prout dat esse naturale, quam supernaturale per gratiam, quia per gratiam manifestatur Deus, et Personæ, non quomodocumque, sed ut experimentaliter cognitæ, et ut intima radix, et principium vitæ animæ, tam in esse naturali, quam supernaturali, quatenus ex ejus influxu dependet, et derivatur omne esse: hæc autem derivatio, et operatio constituit contactum immensitatis ut late probatum est præcedenti tomo, disputatione octava. Ut ergo manifestentur Personæ, non quomodocumque cognitæ, sed ut intime præsentem, et experimentaliter cognitione conjunctæ, oportet quod ista manifestatio fiat secundum aliquem contactum præsentialem, quo Deus tangit interiorius, qui contactus operationis alicujus est, et consequenter ad immensitatem pertinet, quia existentia, et contactus immensitatis in operatione Dei fundantur, ut D. Thomas docet supra quæstione VIII, art. I, ita quod sicut contactus animæ quo experimentaliter sentitur, etiamsi in sua substantia non videatur, est informatio, et animatio, qua corpus reddit vivum, et animatum, ita contactus Dei quo sentitur experimentaliter, et ut objectum conjunctum etiam antequam videatur intuitive in se, est contactus operationis intimæ, qua operatur intra cor, ita ut sentiatur, et experimentaliter manifestetur, eo quod: *Unctio ipsa docet nos de omnibus*, ut dicitur I Joan. IV. Hoc autem requirit, et præsupponit Deum operari intus operatione influente intra animam, non solum esse naturale, quod est commune omnibus, etiam non cognoscentibus Deum, sed etiam esse superna-

turale ex quo oritur in anima nova habitudo ad Deum, sic intime operantem, ut cognoscat eum, et afficiatur illi, et ad Personas, ut frundas a se, et sibi intime conjunctas, ut principium intime influens esse naturale, et supernaturale; et sic illo affectu, et cognitione sentit Deum ut sibi intime conjunctum et experimentaliter notum; quæ experientia sola cognitione non habetur, sed etiam affectu, et gustu, quia est per fruitionem, licet imperfectam, qualis haberi potest in hac vita. Et sic non sufficit cognoscere, et experiri Deum ut absentem, sicut cognosceretur, si per impossibile immensus non esset, sed oportet habere cognitionem Dei ut præsentem, et vivificantem, quæ per operationes vitæ supernaturalis habetur. Vita autem supernaturalis, et experientia ejus non habetur per solum cognitionem, sed per affectum, et gustum, quod pertinet ad charitatem: hoc enim donum nemo scit, nisi qui accipit, ut dicitur Apocalypsis II.

XIV. Quare S. Thomas explicans intimius quomodo fit ista unio ad Personas missas in animam, dicit, citata distinctione XIV, qu. II, art. II ad II, quod: « Non sufficit nova relatio qualiscumque creaturæ ad Deum, sed oportet quod referatur ad ipsum sicut ad habitum, quia quod datur alicui, habetur aliquo modo ab ipso. Persona autem divina non potest haberi a nobis, nisi vel ad fructum perfectum; et sic habetur per donum gloriæ, aut secundum fructum imperfectum; et sic habetur per donum gratiæ gratum facientis. Vel potius sicut id per quod fruibili conjungitur, in quantum ipsæ Personæ divinæ quædam sui sigillatione relinquunt in nobis dona quædam, quibus formaliter fruimur, scilicet amore et sapientia, propter quod Spiritus sanctus dicitur esse

pignus hæreditatis nostræ. » Quibus manifeste explicat D. Thomas quomodo Personæ divinæ dicantur habitæ, et possessæ ab anima, sicut aliquid fruibile ab ipsa, quatenus sua sigillatione relinquunt in nobis quædam dona. Hæc autem sigillatio Personarum operatio est, quibus Personæ manifestantur nobis experimentali quadam cognitione, et tactu sui, quibus cognoscimus animam nostram vivere vita superiori sibi conjuncta, et altiori modo agi, tam in intellectu, quam in affectu, seu gustu; unde et Apostolus dicebat: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Et iterum: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus:* et iterum Roman. VIII: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus;* quod totum pertinet ad sigillationem quamdam, seu experimentalem tactum, quo Personæ ipsæ per aliquam operationem intimam ita tangunt cor, quod se manifestant ut præsentem tamquam illius vivificationis principium. Operatio autem pertinet ad contactum Dei, ut agentis, quod pertinet ad immensitatem: sed contactus quo se faciunt sentire Personæ divinæ, ut præsentem, addit supra præsentiam agendi, quæ est præsentia Dei, ut est unus, præsentiam manifestandi Personarum, non manifestatione quomodocumque, sed experimentali, et intima, licet nondum intuitiva, sicut anima sentitur modo a nobis. Et hoc est esse Deum ut cognitum, et amatum, scilicet cognitione, ut amore experimentali, et contactum intimum operante in nobis.

XV. Dices: Per ipsam missionem Personæ dicuntur esse in nobis, sicut convenientes, et habitantes nobiscum, non ut principium influens, et radix totius esse, quod pertinet ad generalem modum præsentiam immensitatis. Unde dicuntur Personæ non

tam in nobis esse, quam nobiscum, sicut cum dicitur Sapient. VII: *Mitte illam de cælis sanctis tuis, ut tecum sit, et tecum laboret:* et Angelus ad Virginem Lucæ: *Dominus tecum,* ita ut comparetur per missionem Persona divina ad nos, non ut generale principium dans esse, sed ut altera Persona particularis nobiscum familiaris, et cohabitans: ergo male recurrimus ad contactum illum immensitatis, quo Deus tangit per operationem suam creaturas, ut influens, et dans illis esse et ut radix earum, sed ut Persona supponens esse, quia mittitur ut nobiscum sit, non ut nobis det esse.

Respondetur argumentum probare quod missio Personarum, et existentia specialis Dei in anima non fit formaliter per contactum immensitatis, non tamen quod præsuppositive non requiratur, sicut ad hoc ut anima nostra sit nobis præsens objective, prærequiritur quod sit præsens informative, et prout sic præsens sentitur ipsa experientia animationis, et motu vitali, cum tamen aliud sit animam informare, et dare esse vitaliter ut forma, aliud objective apprehendi illam, quæ informans est, et utraque præsentia informativa, et objectiva distinguuntur, petestque una manere sine alia, sicut in dormientibus, et amentibus anima est præsens informando, non tamen cognoscitur, nec sentitur. Sic in peccatoribus Deus est intime dans esse naturale, imo et dona fidei supernaturalia, sed tamen dormiunt, et non sentiunt vitam Dei. Qui autem evigilat, illuminatur a Christo, et sentit ipsum juxta illud Apostoli: *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Quando ergo incipit quis habere objectivam, et experimentalem Dei præsentiam, incipit novo modo esse in anima, scilicet objective ille qui est per

contactum operative, et influendo esse. Dicitur autem esse nobiscum tamquam amicus, et Persona convivens, et familiaris nobis, non quia desinat per hoc esse radix, et principium vitæ nostræ, sed quia manifestatur ut Persona distincta, imo et tota distinctio Personarum manifestatur ut nos comitans, et assistens, et cohabitans: nec enim ita nobis dat esse sicut forma, et sicut anima, sed sicut agens, et Persona distincta; et sic manifestatur nobis ut Persona convivens, et assistens nobis, licet maneat etiam intime assistens, ut influens nobis totum esse. Unde utrumque significatur in Scriptura in hac missione Personarum, et quod coassistat nobis ut Persona amica, et cohabitans nobis veniens et mansionem faciens apud nos, Joannis XIV, et quod intime det nobis vitam quasi principium, et radix vitæ nostræ, Isai. LVII: *In sancto habitans, et cum contrito, et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium et vivificet cor contritorum:* et iterum Joan. VI: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Missio ergo Personæ divinæ ad inhabitandum est, sed etiam ad vivificandum, et ut vivamus ex Deo, non ut ex forma, sed ut ex agente, et influente vitam æternam. Et sic conjunctio ista specialis per missionem, et gratiam non potest præscindere a contactu operationis, et immensitatis, sed supra ipsum addere objectivam manifestationem, quod nullo meliori exemplo explicari videtur, quam animæ nostræ prout informantis, et objective cognitæ.

XVI. Ex dictis possunt solvi quædam minutiores objectiones, quæ contra sententiam, et conclusionem nostram possunt fieri. Nam imprimis non apparet quomodo ipsæ Personæ mittantur, et procedant ad

animam justæ, cum ubique sint, et intime illi præsentem per immensitatem. Si autem dicatur quod de novo sunt, non per hoc quod sint de novo, ubi antea non erant, sed per hoc quod creaturæ ipsæ novo modo immutentur a Personis, et respiciant ipsas, quo antea non respiciant, quæ est solutio D. Thomæ in I, dist. XIV, q. II, art. I ad II et III, contra est, quia iste novus effectus, seu mutatio creaturæ, quæ fit per gratiam est effectus operationis divinæ: ergo modo illo dicitur Deus esse in anima tamquam medio contactu operativo: hoc autem etiam pertinet ad immensitatem: nam in omni effectus suo est Deus per essentiam, præsentiam, et potentiam, etiamsi effectus ille sit supernaturalis, et gratia ipsa, quia effectus licet sint nobiliores, non excludunt contactum Dei, et dependentiam ab influxu illius dante esse, qui contactus est communis respectu omnis creaturæ, et pertinet ad immensitatem. Ergo per illum non possunt Personæ divinæ esse speciali modo in creaturis, et mitti ad illas. Patet hæc consequentia, quia iste effectus, et iste contactus, seu præsentia est a Deo in quantum unus: ergo ex vi illius non est in creatura ut trinus formaliter, sed solum concomitanter, et identice, quod non sufficit ad missionem, quia per missionem specialiter sunt Personæ in anima, et Deus in quantum trinus.

Confirmatur, quia Deus non potest esse speciali modo in creatura nisi vel tamquam principium agens, vel tamquam finis fruendus. Ut principium agens est per immensitatem ratione suæ operationis, et hoc modo non est Deus formaliter ut trinus, sed ut unus, quia ut unus operatur. Ut finis non requiritur quod sit realiter substantia Dei intra animam, ita quod Personæ ipsæ ut distinctæ sic specialiter sint intra; tum